

fias, & pia religiosa loca, ac personas Ecclesiasticas spectantia, vel pertinentia quomodo, sententia excommunicationis prolata in huiusmodi invasores, occupatores, & illicitos detentores. Sed quia propter presumptiones, & quorundam cupiditates nullus fructus hactenus, aut rarus ex prædicta Constitutione provenit, nos tantis animarum periculis præcavere volentes, ne tam salubre statutum videatur in desuetudinem abiisse, & ab huiusmodi præsumptoribus eius ignorantia præteratur, prædictum statutum duximus innovandum, & ipsum in suo robore permanere, ac inviolabiliter observari volentes adjicimus, ut quicumque propter invasionem, occupationem, & illicitam detentionem declarationem rerum excommunicatione auctoritate prædicti statuti ligatur, infra trium mensium spatium invasa, spoliata, occupata, & detenta huiusmodi non restituerit spoliatis, omnes eorum Vassalli, Jobagiones, Castellanei, Comites, & Officiales alii quocumque nomine censeantur, & quivis alii eis quomodo obnoxii a fidelitate, homagio, & qualibet præstatione, qua eis iuramento, pacto, consuetudine, vel qualibet alia firmitate valata tenebantur astricti, sint absoluti, & liberi præsentis auctoritate Decreti, donec ad eos humiliter redeuntes satisfactionem debitam impenderint de præmissis. Quod si perseverantibus in huiusmodi contumacia, & contemptu adhaerent, quia eis in peccatis favore fatagunt, excommunicationis vinculo sint legati, & terra quæ eis medio tempore obediens fuerit, Ecclesiastico supposita interdictio: quod interdictum omnes, & singuli Archiepiscopi, Episcopi, & alii Ecclesiarum Prælati, Capellæ, & Conventus tam regulares, quam seculares, exempti, & non exempti, Cisterciensium, Præmonstratensium, Sancti Benedicti, ac Predicatorum, & Minorum, Heremitarum S. Augustini, aliorumque approbatorum Ordinum, necnon Magistri, & Præceptores militiae templi, & Hospitalis S. Joannis Ierosolymitani, ac B. Mariæ Theutonicorum in virtute s. obedientie, & sub excommunicationis pena servare inviolabiliter teneantur. Et nihilominus si sine debita satisfactione decesserint, prædictorum omnium corpora perpetuo ecclesiastica careant sepultura: non enim debet illi Ecclesiæ beneficium subvenire, qui dum viveret Ecclesiam hostiliter impugnavit. Publicata Posonii quarto Idus Novembris.

*De pœna publicorum Concubinariorum.*

§. 4. Almæ matris Ecclesiæ, quæ plerumque rationabiliter ordinat, & consulte, quæ suadente subiectorum utilitate postmodum consultius, ac rationabilius revocat aliquando, subtrahit, addit quandoque pariter, & commutat in melius, imitantes exempla, Constitutionem bonæ memoriæ Philippi quondam Firmani Episcopi in Regno Ungariæ, ac partibus aliis nostræ jurisdictioni subiectis Apostolicæ Sedis Legati contra publicos concubinariorum editam, & a felicis recordationis Benedicto Papa XI. tunc in Regno, & partibus supradictis Legato Sedis Apostolicæ confirmatam quibusdam

additis, & subtractis juxta infra scriptam modificationem in posterum observari præcipimus. Ad ipsius quidem temperandum rigorem animarum zelus, quas ex illius contemptu quasi continuo peccatorum fordibus fedari conspiciamus, nos inducit, spes recuperationis hortatur. Confidimus enim, quod spiritali poena excommunicationis videlicet, quæ quavis sine comparatione periculosior minus tamen peccatis exigentibus formidatur, in temporalem mutata vindictam subditorum mutabunt & mores. Decreto igitur præsentis statuiimus, ut quicumque Clericus contra ipsius Constitutionis vigorem deinceps deliquerit, excommunicationis poena in ea contenta, propter causas prædictas cessante, quarta partis reddituum beneficiorum suorum præsentis Constitutionis auctoritate damnationi subiaceat. Quia vero nihil prodesse jura, nisi foret, qui ea executioni mandaret, omnibus Episcopis, eorumque Superioribus, necnon singulis Ecclesiarum Prælatibus de jure, vel antiqua consuetudine jurisdictionem habentibus in virtute sanctæ obedientie, ac sub excommunicationis poena, quam, si ad huiusmodi Constitutionis observantiam negligentes fuerint, vel remissi ipso facto incurrant, districte præcipimus, quatenus a subditis suis, qui contra ipsam Constitutionem excesserint, poenam præfatam integraliter exigant ipsius quidem parte dimidia in exigentis, reliqua vero parte in pauperum usum, seu Ecclesiæ exigenti commissa commodum convertenda. Prædicta autem condemnatio tamdiu cum exactioe debita repetatur, quousque mores suos, & vitam, quoad præmissa, curaverint emendare: ad quod etiam corporalis poena, si Superior suus expedire crediderit, indicatur. Publicata Posonii IV. Idus Novembris.

*De prohibita depredatione.*

§. 5. Cum Christus vera pax de summis caelorum descenderit, ut quam mundus dare non potest, suis fidelibus pacem daret: profecto non est membrum Christi, nec ejus Ecclesiæ, qui pacem suam non recipit, vel qui, ne alii recipiant, suis perveris actibus, causam præstat. Cum itaque in Regno Ungariæ olim in pulchritudine pacis æmulus, & discordiæ seminator diu procuraverit optate pacis exilium, immittendo guerrarum discrimina, & depredationes, seu disturbanceones per perverfos homines membra sua inhumaniter exercendo propter quæ pax, & concordia extra dicti Regni terminos diu, quod dolenter referimus, exulavit: Nos, qui præfati Regni, & Incolarum ejus specialem curam suscepimus, ipsorum pacifico statui providere desiderabiliter affectantes, statuimus sacro approbante Concilio, ut omnes, & singuli cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status extiterint, qui in Regno Ungariæ præfate depredationes, seu disturbanceones publicas, per quas pax, & tranquillitas dicti Regni, ut plurimum impeditur, per se, vel per alium publice exercere, & qui aliter ipsius Regni statum pacificum impedire præsumpserit, nisi per Episcopum proprium monitus, ad quod ipse Episcopus in virtute obedientie teneatur, infra octo dies vitam suam melius consulte cor-

rexit, & si clericus fuerit exemptus, vel non exemptus beneficio privato ipso facto excommunicatione, qua Deus iratus animas percudit, sit ligatus. Publicata ut supra Posonii.

*De his qui contumaciter sustinent excommunicationem.*

§. 6. Cum peccata tanto gravius depriant, atque laboriosius extirpentur, quanto invaluerint consuetudine longiori, præsentis Constitutione sacro approbante Concilio duximus statuendum, quod si quis Clericus, vel Laicus cujuscumque status, vel conditionis existat, aliquam de constitutionibus nostris transgrediens, quas contra recusantes dictum Carolum pro Rege naturali Ungariæ recipere, & habere, vel alium advocantes, vel nominantes, seu recusationi, advocacy, vel nominationi huiusmodi consentientes, seu faventes, ac etiam contra occupatores Regalium generalium, vel Ecclesiasticorum bonorum, contra eos quoque, qui in Regem prædictum, Archiepiscopos, Episcopos, vel Legatos manus iniecerint violentas, necnon contra occupatores, & detentores Sacræ Coronæ, eorumque fautores edidimus, majoris excommunicationis sententiam in præfatis constitutionibus, seu aliqua eorum contentam, quod absit, incurrerit, quam citius commode poterit, cum debita instantia illius absolutionem efficaciter obtinere procuret: qui vero concepta malitia, sive damnosa negligentia excommunicationem huiusmodi per annum sustinuerit animo indurato, contra eum per Prælatum ad quem de jure pertinere dignoscitur, seu per Inquisitores hæreticæ pravitatis bonis pro facto jure confiscatis ipsius tamquam contra hæreticum procedatur. Publicata Posonii quarto Idus Novembris.

*Ne aliqua Fidelis alicui Infideli matrimonialiter copuletur.*

§. 7. Ut Fides Catholica, quæ scissuram erroris cujuslibet aspernatur, nullius Schismatis, vel fermenti pravitatis hæreticæ maculetur, de consilio, & assensu præsentis Concilii perpetuo prohibemus edicto, ut nullus nostræ Legationi subiectus, qui vult reputari, & haberi catholicus, præsumat de cætero hæretico, Patreno, Lazaro, Schismatico, vel alteri fidei Christianæ contrario, maxime Ruthenis, Bulgaris, Rasciis, Lituaniis in errore manentibus, qui sicut fide dignorum testimonia præstantur, in diminutionem catholicæ fidei, opprobrium Jesu Christi, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est veræ fidei fundamentum, non solum Sacri Baptismatis reiterat Sacramentum, verum alia Catholice Ecclesiæ salutifera Sacramenta damnabiliter contemnentes habent despectui, fidei veritatem, in qua fidelibus salus datur, abnegant, & eis diversis modis, & variis injuriam irrogare conantur, filiam, neptem, consanguineam suam connubio tradere, vel eas eis modo aliquo copulare, cum hoc sit in prædictæ fidei Christianæ detrimentum non modicum, & jacturam: nam sicut didicimus ab experto, viri ab unitate fidei catholice separati uxore

*Bull. Rom. Tom. III. Pars II.*

res suas quantumvis catholicas insigante Diabolo ad infidelitatis errorem trahunt, potius quam trahuntur. Qui vero contra inhibitionem præsentem, filiam, neptem, vel consanguineam suam prædictis pestiferis hominibus, qui quantum in eis est, catholicam fidem, sine qua nullus omnino salvatur, nituntur confundere, deditit, vel danti consenserit, vel ex proposito, vel scienter huiusmodi scelestis nuptiis astitit (mulier etiam data, vel tradita, quæ eidem consenserit) cum per hoc in Christiana Religione scissuram, & maculam ponere satagat, ac per hoc hæreticæ pravitati favere, eo ipso excommunicationis mucrone percussum se noverit, & Ecclesiastica Sepultura privatum. Volumus autem, & in virtute obedientiæ districte præcipimus Archiepiscopo, vel Episcopo, in cuius Diocesi contempserit huiusmodi moram trahere, quod eum excommunicatum denuntiet, & ab omnibus evitandum: Et si infra mensem corde contrito, & humiliato non redierit ad Ecclesiæ unitatem, de tanta injuria irrogata nomini Christiano, & fidei orthodoxe condignam satisfactionem, & debitam impensurus, ex tunc contra eum tamquam contra fautores hæreticorum, & inimicos fidei Christianæ procedatur juxta Sanctiones Canonicas, & Civiles. Publicata Posonii IV. Idus Novembris.

*De observantia mandatorum Apostolicæ Sedis, & Legatorum ipsius.*

§. 8. Cum Apostolica Sedes ad obedientiam omni singulari privilegio præponatur, dolemus, quod quidam, quos termini nostræ Legationis includunt, bonum obedientiæ pervertentes, ipsius Apostolicæ Sedis, vel etiam Legatorum ejus, qui in decreta sibi Provincias, secundum in obedientia, & reverentia locum tenent ipsius in obedientiæ debito reverenter subtracto, mandatis, sive in recipiendis Canonis, sive in custodiendis sententiis, sive in quibusvis præceptionibus observandis aliorum damnabiliter voluntatem præponunt, & non attendentes, quod quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere poenæ inobedienciæ debite se supponunt, quod in terra Poloniæ maxime per nonnullos Episcopos, & Capitula, quæ præsertim pro aliquibus recipiendis Canonis, nisi de suorum Superiorum voluntate procedat, ab eadem Sede vel Legato ipsius discretis literis obedire contemnunt, factum esse frequentius nostris auribus est relatum: Proinde nostro commissore regimini in bono perfectæ obedientiæ, sine qua infidelis quisque convincitur, etiam si fidelis esse videatur, observari ferventi desiderio affectantes monemus omnes, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, electos, Abbates, Priores, Ecclesiarum quoque capitula prædictæ terræ Poloniæ, ut non obstante suorum Superiorum voluntate contraria dictæ Sedis Legatorum, quæ ipsius mandata sic reverenter recipiant, & obedienter adimpleant, quod meritum inobedienciæ non amittant: scituri, quod si mandata huiusmodi per inobedienciæ vitium non dixerint adimplendum, eos taliter puniemus, quod poenæ

*Q. 9. 2 do.*

docente cognoscant, quam grave sit eorum iustionibus contraire, Publicata ut supra. Datum Posonii quarto Idus Novembris Pontificatus Domini Clementis Papae V. anno IV.

Clausula. Dat. die 5. Septembris 1346. An. V.

X.

Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Confirmatio Electionis Marchionis Moraviae Romanorum Regis in Imperatorem electi.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Charissimo in Christo Filio Carolo Regi Romanorum Illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Proemium.

Romanus Pontifex, cui Rex eternus & summus in persona Beati Petri Apostoli aeternae vitae Clavigeri, Celestis simul, & Terreni iura Imperii, & plenitudinem potestatis concessit, supra cunctos Fideles sui curae commissos invigilans, & intendens circa ea, quae fidelibus ipsis ampliora pacis & iustitiae afferre commoda existimat, tanto diligentioribus se tenetur impendere studiis, quanto ad hoc inuncte desuper Apostolice servitutis officium ipsum stimulat, & perurget. Et quia regnantium recte ordinata regimina nutrire consueverunt iustitiam, & Christiano Populo pacem dare, Pontificis ejusdem auctoritas, cui dictum a Domino legimus per Prophetam: Ecce constitui te super gentes & super Regna, ut evellas, destruas, disperdas, & dissipas, aedifices, & plantes; ad erigenda huiusmodi regimina, prout ad suam spectat sollicitudinem, nequaquam debet tepescere, sed potius operosas apponere, cum expedire conspicit, manus suas.

Fridericus Austriae & Ludovicus Bavarie Duces in discordia electi.

Friderico mortuo Ludovicus omnino iure Imperii a Joanne Papa vacans.

Quo pacto vacans Imperio constituitur Clemens.

§. 1. Sane dudum Imperio Romano per obitum clarae memoriae Henrici ultimi Romanorum Imperatoris vacante, duo videlicet quondam Fridericus Austriae, ac Ludovicus tunc Bavariae Duces in Regem Romanum in discordia electi, ut dicitur, extiterunt. Deindeque Friderico praedicto rebus humanis exempto Ludovicus praedictus propter ipsius excessus, culpas, crimina, & alia demerita detestanda quasi totum divulgata per Orbem per felicis recordationis Joannem Papam vigesimum secundum Praedecessorem nostrum de Fratrum suorum consilio extitit omni iure, si quod eidem Ludovico ad Regnum vel Imperium Romanum ex electione discordi praedicta, vel alias competere poterat, quoquomodo, iudicio iusto privatus, & subsequenter de haeresi & schismate sententialiter condemnatus.

§. 2. Nos autem postmodum licet insufficientibus meritis ad apicem summi Apostolatus assumpti, attendentes, quod ex hiis Regnum & Imperium praedicta diu vacaverant & vacabant, & ob hoc Sancta Romana Mater Ecclesia per

longa tempora suo caruerat & carebat speciali advocato & legitimo defensore in Catholicae fidei, & ejusdem Romanae, ac aliarum Ecclesiarum, & libertatis Ecclesiasticae, reique publicae grande praedictum multiplex detrimentum, & multarum periculum animarum, ac huiusmodi dispendiis & periculis, quae tollerare salva conscientia non poteramus, ulterius occurrere paternae sollicitudinis studiis cupientes, Principes tam Ecclesiasticos quam Seculares, ad quos jus eligendi Regem Romanum in Imperatorem postmodum promovendum pertinebat, Apostolica auctoritate monuimus, eis districtius injungentes, ut pro electione Regis Romani in Imperatorem, ut praedicitur, promovendi, de persona idonea facienda convenirent invicem & ad electionem huiusmodi procedere non differrent: Alioquin Apostolica Sedes, a qua ius & potestas electionis huiusmodi ad Principes pervenisse, constat, eosdem super hoc de opportuno remedio provideret.

§. 3. Praefati vero Principes salutaribus monitis nostris huiusmodi se devota promptitudine conformantes, ac certis die & loco pro electione huiusmodi celebranda illi videlicet, qui debuerunt, potuerunt, & voluerunt interesse, convenientes in unum, post diligentes deliberationem & tractatus prout tanti magnitudinis negotii requirebat habitos inter eos te Marchionem Moraviae nunc electum Regem Bohemiae in Regem promovendum postmodum in Imperatorem Romanum unanimiter & concorditer elegerunt, tuque deliberatione habita super hoc ad instantiam Electorum praedictorum, & aliorum multorum electi huiusmodi consensisti.

§. 4. Post haec autem Venerabilis Frater noster Arnestus Archiepiscopus Pragen., & dilecti Filii Magistri Joannes de Pistorio Decanus Sancti Joannis Traiecten., & Nicolaus de Lucemburgo Praepositus Sarzen. Praegen. Diocesis, & Geraldus de Magnaco Archidiaconus de Bautesio Constantien. Ecclesiarum Cappellani nostri, necnon nobilis Vir Ademarus de Pistoria Miles Procuratores & Nuncii tui, ad nostram praesentiam super hoc destinati habentes ad infra scripta omnia plenum sufficiens & speciale mandatum, sicut per patentes literas tuo sigillo munitas nobis extitit facta fides, coram nobis, & Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, in solemnibus & publico Consistorio praesente tam Praelatorum, & Clericorum aliorum, quam Laicorum multitudine copiosa Fidelium constituti, pro parte tua inter cetera proponere curaverunt electionem ad Regnum Romanum de te ad Imperium postmodum promovendo ab omnibus Principibus tunc in electione huiusmodi vocem habentibus, qui, ut praefertur, debuerunt, potuerunt, & voluerunt interesse, fuisse concorditer, ac unanimiter celebratam, teque, ut praedicitur, electioni huiusmodi consensisse, filialem reverentiam, & devotionem, quam Tu ad Nos, & eandem Romanam Ecclesiam Matrem tuam gessisti, gerebas & geris, ac proponis gerere in futurum, sinceris affectibus exponentes, ac inter alia supplicantes,

Carolus Moraviae Dux in Regem Romanum electus.

Pecunia ab eo per suos Nuncios Apostolica constituta.

Et concessa a Clemente.

tes, Tibi nostros favores & gratias exhiberi, nec non inunctionem, & consecrationem per manus nostras impendi, teque Imperiali Diademate coronari, offerentisque se paratos & promptos pro te & in animam tuam praestare debite Nobis & eidem Ecclesiae fidelitatis, & cujuslibet alterius generis iuramentum.

§. 5. Tandem autem Procuratoribus per se, & unacum dilectis filiis nobilibus Viris Henrico Comite de Salmis, Gaetano de Montilio, Gerardo de Uffix, & Joanne de Asperomonte, Militibus Treveren., Valentin., & Viridunen. Diocesum, ac Radulpho dicto Loffe. Officiali Treveren. Procuratoribus, & Nunciis suis una cum eis per alias tuas literas similiter constitutis haec omnia pluries petentibus, ac devote offerentibus coram Nobis, nos praemissis per eosdem Procuratores, & Nuncios tuos propositis diligenter auditis, factaque Nobis de huiusmodi electione concordis & unanimi plena fide, eaque necnon persona tua in quantum patiebatur absentia diligenter examinatis, ac de tuis fide, probitate, ac conditionibus omnibus, quae requiruntur in illo, qui est electus ad Imperialis culminis apicem sublimandus cum pleribus Praelatis & aliis magnae auctoritatis viris, qui tuos mores, conditiones, & statum plenius noverant, inquisito, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatae ac Gloriosae semperque Virginis Dei Genitricis Mariae, Beatorumque Apostolorum Petri & Pauli, ac exaltationem & honorem Ecclesiae, & bonum, & promotionem Imperii praedicti & prosperum statum Mundi, de Fratrum eorumdem consilio te in specialem nostrum & Ecclesiae filium suscepimus, Tibi nostros favorem, & gratiam concedentes, personaque tua, cujus Nos, & iidem Fratres nostri specialem prius notitiam habebamus, idonea reputata, Te nominavimus, denunciavimus, declaravimus, & assumpsimus in Regem Romanum promovendum in Imperatorem, eandem tuam approbantes personam, ac sufficientem & habilem declarantes ad suscipiendam Imperialis celsitudinis dignitatem, ac decernentes inunctionem, consecrationem, & coronationem Imperialis Diadematis tibi per manus nostras opportunis loco & tempore impendendas: suppletentes quoque omnem defectum, si quis, aut ratione formae, seu tuae aut Electorum praedictorum personarum, qui electioni tuae interfuerunt, seu ex quavis alia ratione sine causa in eadem electione intervenit quovis modo ex certa scientia, & de Apostolica plenitudine potestatis: praecipientes etiam omnibus Fidelibus & Vassallis Regni, & Imperii praedictorum, ut Tibi tanquam Regi Romanorum in Imperatorem promovendo pareant efficaciter & intendant.

Præsum per Procuratores fidelitatis iuramentum.

§. 6. Et nihilominus ibidem a praedictis Procuratoribus, & Nunciis tuis ad haec, ut praemittitur, plenum sufficiens & speciale mandatum habentibus, prout ipsi Nobis frequenter obtulerunt, fidelitatis recepimus iuramentum.

§. 7. Attende itaque Fili charissime quae sumus, & intra praecordia tua diligenter revolve dona magnifica & multiplicia beneficia, quibus te largitor bonorum omnium in suis

benedictionibus dignatus est provenire, illaque sibi devotione humili & operosis affectibus recognoscens mandata & beneplacita in omnibus te coapta, & vitare stude summopere, quae tuae offenderent oculos maiestatis: pone gressus tuos semper in semitis mandatorum ipsius, & ejus Ministros condigna honorificentia prosequi non omittas: praefatam quoque Romanam Ecclesiam Matrem tuam, quae internae charitatis officio & affectu de tui status & honoris augmento sollicita redditur, filiali venerari reverentia semper stude, iustitiam dilige, veritatem ama, sectare pacem, equitatem serva, & clementiam, quae amicos, & devotos multiplicat, amplexare, ut inde letentur Coeli & exultet Terra, & de tuis benignis & virtuosis actibus universae reipublicae Populus nunciusque vehementer afflictus ilarescat, iugo tuae dominationis superbe mentes hostium comprimentur, contriti, & depressi subditorum tuorum animi ope tuae misericordiae releventur, te virtus caelestis gratiae terribilem tuis inimicis faciat, pietas subditis benignum ostendat, tuisque felicibus temporibus in plenitudine pacis Populus Christianus sedeat, in fiducia tabernaculis habitet, & requiescat, tuque his & aliis tuis bonis operibus in conspectu divinae Maiestatis acceptus, post multorum annorum curricula, de terreno ac temporali Regno ad caelestis & aeterni Regni provehi gloriam merearis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire &c.

Datum Avenioni octavo Idus Novembris Pontificatus nostri anno quinto.

X I.

Pragensis Academia instituitur, & Archiepiscopo conferenda Doctoratus Laureae jus adjudicatur.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Considerantes eximia devotionis, & fidei puritatem, quam tam ipse Carolus, & Praedecessores sui Bohemiae Reges, quam ejusdem Regni Incolae ad Sanctam Romanam Ecclesiam gessisse, ac ipse Carolus Rex, & Incolae gerere dignoscuntur, ferventi desiderio ducimur, ut Regnum ipsum, quod divina bonitas multitudine populi, rerumque copia praedotavit, fiat literarum fertilitate fecundum, ac in eo quemadmodum auri, & argenti fore dignoscitur, sic scientiarum praevalentium sit abundantia, ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi fons irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi liberalibus cupientes imbui documentis.

§. 1. His igitur omnibus, & praesertim, amanitatibus civitatis praefatae diligenti pensatis ad huiusmodi universalem, non solum praemissorum ejusdem Regni, & Regionum cir-

Præceptis imbuatur a Clemente.

Clausula.

Ex Raynaldo ad ann. 1347.

Proemium.

abundantia.

Accademia Studiorum generalium instituta.

Prescripta conferendae Laureae ratio.

Conclusio.

Dat. die 26. Januarii 1347. Anno V.

circumiacentium Incolarum, sed etiam aliorum, qui de diversis mundi partibus, ad eandem confluent civitatem commodam, & profectum paternis affectibus anhelantes dicti Regis supplicationibus inclinati de Fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate statui- mus, ut in dicta Civitate Pragensi perpetuis futuris temporibus generale studium vigeat in qualibet licita facultate, & quod legentes & studentes ibidem omnibus privilegiis liberta- tibus, & immunitatibus concessis Doctoribus legentibus, & studentibus commorantibus in Studio generali gaudeant & utantur, quodque illi, qui processu temporis scientiae margari- tam fuerint in alia facultate, in qua studue- rint, affectu, si bique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac Magisterii honorem, seu titulum petierint impertiri per Magistros seu Magistrum illius facultatis, in qua exami- natio fuerit facienda Archiepiscopo Pragensi, qui est pro tempore praesentetur. Idem quo- que Archiepiscopus Doctoribus, Magistris in eadem facultate inibi actu regentibus convo- catis, illos in iis quae in promovendis ad Docto- ratus, seu Magisterii honorem requiruntur, per se vel alium iuxta modum, & consuetu- dinem, quae super talibus in generalibus Studiis observantur, examinare studeat diligenter eis- que si ad hoc sufficientes, & idonei reperti fuerint huiusmodi licentiam tribuat, ac hono- rem seu titulum conferat magistralem. Illi vero, qui in eodem Studio dictae Civitatis exa- minati, & approbati fuerint, ac docendi licen- tiam, & honorem, seu titulum Magisterii ob- tinuerint, ut est dictum ex tunc absque exami- ne, & approbatione alia regendi, & docendi, tam in Civitate praedicta, quam alibi ubicum- que tam dictae Civitatis, quam quorumlibet aliorum locorum, seu generalium Studiorum, in quibus voluerint, regere, vel docere, sta- tutis, consuetudinibus contrariis Apostolica, vel alia quacumque firmitate vallatis nequa- quam obstantibus plenam, & liberam habeant facultatem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apo- stolorum eius se noverit in cursum.

Datum Avenioni VII. Kalendas Februarii Pontificatus nostri anno quinto.

XII.

De Canonizatione S. Ivonis Presbyteri Treco- rensis Galli, eiusque festivitatis celebra- tione sub die 19. Mensis Maii.

Clemens Papa VI. Carissimo in Christo filio Philippo Regi Franciae Illustri, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

AD spiritualis gaudii, & consolationis augmentum patefieri Regali Excel- lentiae volumus per praesentes, quod nos super negotio canonizationis almi Confessoris Domini Iesu Christi, Ivonis videlicet quondam Pre- sbyteri Diocesis Trecorensis, pro qua tua sub- limitas instanter haecenus nos rogavit, in no- mine Domini procedentes, die sextadecima praesentis mensis Junii examinatione diutina, proluxa providentia, & matura sicut exigit tan- ti negotii arduitas, praecedente, praefatum Sanctum, qui vitam sanctam piis exuberantem operibus castigando, & in servitum redi- gendo carnem suam, spiritum non sine multis, & magnis austeritatibus gessisse poenitentiali- bus, dum in humanis ageret, multorumque coruscatione miraculorum, tam in via, quam post felicem ipsius transitum claruisse, mani- festis ipsius probationibus fuit repertus, praesente fidelis cleri, & populi multitudine co- piofa, observataque solemnitate, quae confue- vit in talibus observari, ad laudem, & gloriam divini nominis, ac consolationem fidelium, & maxime Regni tui, de quo traxisse noscitur originem, ac Tui, & eiusdem Regni exaltationem honoris, de consilio Fratrum nostrorum canonizavimus, & Sanctorum Cathalogo ad- scribendum mandavimus, & ut Sanctum deinceps a fidelibus venerari.

§. 1. Festum ipsius die decimanona mensis Maii, quo eius anima mole carnis exuta, ce- los petens, cum scala gloriae caelitus civibus est coniuncta, statuentes a fidelibus annis sin- gulis celebrandum.

§. 2. Ad ipsum quidem Sanctum ingen- tem devotionem gerit partium istarum popu- lus, & iam multi ad ipsius suffragia devotis ora- tionibus, & emissis votis in humilitate spiri- tus recurrentes, exinde sanitarum, & alia re- media super suis iustis petitionibus reportarunt, & reportare non desinunt incessanter.

§. 3. Ex his nempe tibi fili carissime adan- geri debet proculdubio magna spiritualis latti- tiae incrementum, & inde teneris Deo assun- gere, ad gratiarum devotas, & humiles actio- nes, qui tibi talem de Regno tuo, in quo etiam corpus quiescit, eiusdem patronum, & intercessorem in sua curia caelesti concessit, ad quem super tuis necessitatibus, ut divinam tibi propitiationem apud Regem aeternam, qui omnia palmo concludit, obtineat, recur- rere poteris, sicut credimus confidenter.

Dat. Avenione 11. Kal. Julii Pont. no- stri Anno VI.

B. Ivonem a se canoniza- tum ait.

Eiusque sta- tutum festum diem.

Miracula ad B. tumulum patrata.

Dat. die 11. Junii 1347. Anno VI.

XIII.

Limitatio finium Agri Beneventan.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Regis. in archiepis.

Promium.

In concessio- ne Clemens IV. Carolo Andegavensi fide excep- tus Beneven- tianus de ipsius Comitibus con- sultis.

URget Nos Apostolicae servitutis debi- tum, ut sic simus aliis in exhibitio- ne Iustitiae debitores, & Jura Romanae Ecclesiae, cui licet immeriti Auctore Domino praeside- mus, laedi per conniventiam, aut minui per peri- culosam tolerantiam nullatenus permittamus, quinimo Iustitiam ipsius, quantum cum Deo possumus prosequentes, ejus indemnitatibus providere sine cuiuscumque injuria studea- mus.

§. 1. Sane in Christo carissimam Filiam nostram Joannam Reginam Siciliae Illustram latere non potest, quod in praestatione Jura- menti fidelitatis, & homagii nostro & Eccle- siae praedictae nomine receptorum, ratione Regni Siciliae per eam praestitum, ipsa confessata est, prout Praedecessores sui fecerant, recognove- rat, & in illis partibus tanquam in publicam deductam notitiam, notorium existit, quod felix recordationis Clemens Quartus Praede- cessor noster in concessione per ipsum facta sub certis pactis, modis, & conditionibus cla- re memoriae Carolo Comiti, Provinciae, & Andegaviae, de Regno Siciliae, & Terris ci- tra Farum usque ad Confinia Terrarum Roma- nae Ecclesiae supra dictae expresse, & nomi- natim excepit, & a praedicta concessione ex- cludit Civitatem Beneventan., quam in signum directi, & majoris Domini, Regni, & Terra- rum praedictarum sibi, & praefatae Romanae Ecclesiae retinebat, cum toto ejus Tenimen- to, districtibus, & pertinentiis suis distinguen- dis, & limitandis per Romanum Pontificem pro ejus beneplacito voluntatis, cui distinctio- ni, & limitationi semel bona fide faciendis ipse Carolus, & Successores sui stare deberent abs- que contradictione, & refragatione quacum- que, prout ipsa distinctio per Apostolicas literas appareret: quam Civitatem Beneventanam cum toto Tenimento, & districtu, ut praemittitur, distinguendo voluit solum, & in- solidum ad Jus, & proprietatem, & in Domi- nio, & Demanio Romanae Ecclesiae remanere, ut nec Reges Siciliae nec quicumque alii in dicta Civitate, & ipsius Territorio, & perti- nentiis possint sibi Jus aliquod quomodolibet vendicare, acquirere, recipere, vel habere seu etiam retinere, prout in literis Apostolicis dictae concessionis super hoc confectis, ac regi- stratis Aurea Bulla impressa Zipario com- munitatis dicti Caroli, & omnium successorum suorum super receptione homagii, & praes- tatione Juramenti fidelitatis, & Vassallagii: in quibus tenor concessionis praedictae, cum suis pactis, modis, & conditionibus inseritur; latius continetur.

§. 2. Licet autem Ecclesia Romana praedictam Civitatem Beneventanam pleno jure ex tunc inconcusse possederit pacifice & quie- te; Attamen propter diversas occupationes,

quae undique Romanis Pontificibus occurren- tes non sinunt omnibus accomode provisionis remedium adhiberi, & conditionem Regni & Terrarum praedictorum, quae diversis turbatio- nibus saepius fluctuant; Territorium seu Te- nimentum, aut districtus huiusmodi per Prae- decessores nostros limitata non fuerunt, ne- que distincta quamvis ipsorum aliqui ad dis- tinctionem & limitationem Territorii, seu Tenimenti, & Districtus eorumdem procedere intendentes informatione super limitibus hu- jusmodi rite recepta, morte praeventi non, potuerint coeptum negocium terminare; Nos- que olim attendentes, quod ex omissione limi- tationis, districtus, & Tenimenti seu Territo- rii praedictorum multa Ecclesiae praefatae, ac Civibus seu Incolis Civitatis praedictae subditis nostris incommoda evenerunt, & dubitantur verisimiliter ampliora in posterum evenire, si limitatio, seu distinctio huiusmodi ulterius differretur, ac volentes prout tenemur peri- culis futuris occurrere & Ecclesiae praedictae nostrae Sponsae indemnitatibus providere, Ve- nerabili Fratri nostro Bertrando Episcopo Sa- binen tunc Tiruli Sancti Marci Presbytero Cardinali Apostolicae Sedis Legato commisimus, ut de Tenimento, Territorio, & distri- ctu praedictis, & eorum finibus praedictis di- ligentius se informare, & informatione rece- pta fines Territorii, Tenimenti, & districtus praedictorum nomine, & vice nostris distin- gueret Terminis evidentibus appositis in eis- dem: & licet dictus Episcopus, se per Testes idoneos omni exceptione majores de Teni- mento, Territoriis, districtibus, & finibus praedictis diligenter informaverit, vocata ad hoc praedicta Regina legitime, sed comparere per se, vel Procuratorem idoneum non curante; tamen ipse Legatus infirmitate, & aliis legitime impeditus praedictos fines distinguere, non potuit, nec huiusmodi Territorium terminare. Propter quod postmodum venerabili Fratri nostro Hanibaldo, Episcopo Tusculano, Apo- stolicae Sedis Legato commissimus, ut super praedictis informatione recepta auctoritate Apostolica, & vice nostra Territorium, Fines, & districtus praedictos distinguere procuraret: qui licet se diligenter informaverit, ad disti- ctionem, & limitationem tamen huiusmodi procedere noluit, Nobis super hoc inconsultis, sed informationes per eum super iis accep- tas Nobis destinare curavit; ac Nos nolentes quod negotium praedictum tanto tempore pe- riculose dilatatum ulterius retardetur, informa- tiones praedictas per aliquos ex Fratribus no- stris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, videri, & examinari fecimus diligenter, nihi- lominus mandantes eisdem, ut ex suprabun- danti se per Testes idoneos finium praedicto- rum habentes notitiam de praedictis informa- rent.

Haec Provin- cia pluribus Sedis Apost. Legatis com- missa.

§. 3. Facta itaque nobis per eos de praedictis informationibus relatione fidei de Fra- trum nostrorum consilio ordinamus, & de- claramus, fines & limites, Tenimentum & districtum, seu Territorium Civitatis nostrae praedictae Beneventanae existere, & esse debere, & ex certa scientia limitamus, per modum, & ter-

Quare dilata- ulque alius ejus finium, distinctio.

Haec Provin- cia pluribus Sedis Apost. Legatis com- missa.

Beneventanorum finium decretoria Descriptio.

& terminos infra scriptos: In primis Castrum Pontis inhabitatum, & inde ascendendo Castrum Casalbanum, Castrum Campi Lactarii, Castrum Frangeti Monfortis, Castrum Frangeti Abbatis, Castrum Montis Leonis, Castrum Sancti Severi, Castrum Sancti Georgii Mocinarii, Castrum Sancti Andreae de Molinaria, Castrum Petre Majoris, Castrum Padule, cum suo Suburbio, sive Casali Sancti Arcangeli, Castrum Montis Mari, Casale Timplani, Castrum Apicii cum Casalibus, Castrum Merroni, Castrum Venticani, Castrum Montis Fuscoli cum Casalibus, Castrum Zusi, Castrum Petre Sturmini, Castrum Sancti Martini, Castrum Cervinariæ, Castrum Montis Sarcoli, Castrum Totii cum Casalibus, Castrum Terluosii cum Casali Papiis, & aliis Casalibus. Volumus itaque & Apostolica auctoritate decernimus, quod omnia Castra, Casalia, & Loca supradicta cum suis Territoriis, & pertinentiis universis, ac etiam Castra, Casalia, & loca omnia cum suis pertinentiis, & alia quæcumque, quæ inter dicta Castra, Casalia, & loca supradicta, & eorum limites, & pertinentias, dictamque Civitatem Beneventanam includuntur, seu continentur quomodolibet, vel existunt de Territorio, Tenimento, & districtu dictæ Civitatis Beneventanæ esse perpetuo irrefragabiliter absque cujusquam contradictione, & impedimento, & infra dictum Territorium existere censeantur. Quæ Castra, Casalia, & loca cum omnibus Castris, Casalibus, & locis, ac aliis supradictis ad Jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere pleno jure, hoc salvo quod si aliqui nobiles, aut alii in Castris, Casalibus, locis, & aliis prædictis, vel intra ea, & Civitatem prædictam aliquas proprietates habeant acquisitas legitime, per hoc eis non intendamus derogare.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram ordinationis, declarationis, limitationis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Avenione septimo Kalendas Junii Pontificatus nostri Anno IX.

XIV.

Episcopus Carpentoraten. & Uticen. ac Abbat Monasterii S. Rufi prope Valentiam committitur inquisitio super miraculis B. Elzearii Comitis Arianensis.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Carpentoraten. & Uticen. Episcopis, ac dilecto filio Abbati Monasterii Sancti Rufi prope Valentiam.

Grandis nobis adest lætitia, mira que nostra præcordia gaudiorum suavitate replentur, & a nobis magna gratiarum,

actionum, ac laudum Deo debeantur impendia, dum cælestis Rex ipse, sub cujus ditione cuncta subsistunt, sanctos suos per exemplaris vitæ doctrinam, & Sanctitatis merita venerandos, de præsentis vitæ carcere ad æternam beatitudinem evocatos crebris coruscare facit miraculis, per quæ suos fideles, & in fidei constantia perseverantes efficiat, & ad Sanctorum ipsorum sectanda vestigia, lucidasque semitas incedendas, invitet apertius, quos de multitudine miserationum suarum ad eorum vult confortium pervenire.

§. 1. Sane pro parte venerabilium Fratrum nostrorum Aquen. & Arelaten. Archiepiscoporum, & nonnullorum Episcoporum Aquen. & Arelaten. Provinciarum, & dilectorum filiorum Prælatorum Ecclesiarum, Religiosorumque, & Baronum, & Nobilium, ac Universitatum, eorumdem Provinciarum, & Provinciarum, ac Forqualquerii Comitatum pridem in Consistorio propositum existit coram nobis, quod recolenda memoria Elzearius de Sabrano, Comes Ariani, ac Baronis Anstasii Dominus, de dicta Provincia Provinciarum oriundus generis nobilitate præclarus adeo in exemplari vita, & castitate perfecta in hujusmodi peregrinatione sæculi ejus abjectis voluptatibus, carnisque illecebris procul pulsus, per castos mores virtutumque placitos actus, Domino gratum famulatum impendere, ejusdem vitæ merito sibi ipsi, & aliis proficere studuit per exemplum, quod omnipotens ipse Dominus virtutis suæ in eodem Elzeario opera manifestans, per sancta sua merita in Civitate Aptensi in loco Fratrum Minorum, ubi corpus requiescit ejusdem, & alibi plures suscitavit mortuos, cecos illuminavit, mundavit leprosos, surdis auditum, mutis loquelam, & paralyticis, ac contractis restituit sanitatem, honorans in terris, quem ut pie ereditur, coronavit in caelis. Quare nobis fuit pro parte prædictorum humiliter supplicatum, ut cum de prædictis, quæ in dictis Provinciis, & Comitatus, quasi notoria, & manifesta fore dicuntur, posset fieri per fide dignos, & solemnes viros, ac factorum evidentia plena fides, super iis per aliquos probos viros mandaremus inquiri, ut veritate comperta, & certitudine habita præmissorum, cum non deceat eum apud homines sine veneratione relinqui, quem merita, & miracula sanctum monstrant, ipsum dignaremur sanctorum Catalogo aggregare. Nos igitur, quos in certis festinis, & lentos convenit in dubiis inveniri, de prædictis notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati Discretioni vestræ, de quorum circumspeditione plenam in Domino fiduciam obtinemus, de Fratrum nostrorum consilio per Apostolica Scripta committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo vestrum de vita, & meritis dicti Elzearii, ac eius miraculis, & cæteris circumstantiis, circa interrogatoria, quæ sub bulla nostra transmittimus interclusa veritatem diligentius inquiratis, & nobis, quæ super his inveniatis scripta sub vestris Sigillis cum vestrarum litterarum harum seriem continentium testimonio intimare curetis.

Datum Avenione Kalendis Septembris Anno X.

Multa miracula ad tumulum B. Elzearii patenta.

Commissio de his inquisitio.

Datum die 1. Septembris 1351. An. X.

XV.

De Cibis, Potuque ministrandis S. R. E. Cardinalibus in Conclavi, & numero Interventium eisdem.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Incet in constitutione a felicitate recordationis Gregorio Papa Decimo predecessore nostro, super electione Romani Pontificis edita in Concilio Lugdunensi, inter cætera caveatur expresse, quod si eundem Pontificem in civitate, in qua cum sua curia residet, diem claudere contingat extremum, Cardinales in Palatio, in quo idem Pontifex habitabat, omnes conveniant, & in eo singuli, singulis tantummodo, nisi illi, quibus ex patenti necessitate duo permittuntur haberi, contenti servientibus, clericis, vel laicis prout elegerint, unum Conclave nullo intermedio pariete, vel alio velamine inhabitent in communi.

§. 1. Et quod diebus certis non facta provisione de Pastore decursis, panis, vinum & aqua tantum eisdem Cardinalibus, donec subsequetur provisio, ministraretur.

§. 2. Quia tamen sicut frequenti multorum assertione, & in Cardinalatu constitutorum percepimus, nonnulli ex Cardinalibus in observatione Constitutionis ipsius gravati aliam nimium extiterunt, multi quoque ex ipsis duos in dicto Conclavi abuerint servientes, non absque scrupulo conscientie, propter ambiguitatem dictorum verborum, videlicet, quibus ex patenti necessitate duo permittuntur haberi, in dicta constitutione, ut præmittitur contentorum; Nos providere super his cupientes, ex his & cæteris aliis causis rationabilibus, quæ nostrum ad id animum induxerunt, rigorem constitutionis ipsius, & etiam ad fratrum nostrorum supplicationem, in his providimus temperandum, auctoritate Apostolica statuente, quod Cardinales postquam Conclave hujusmodi, seu clausuram pro dicta electione celebranda intraverint, singuli duos servientes tantum, Clericos, vel Laicos prout duxerint eligendos.

§. 3. Ac etiam singulis præter panem vinum, & aquam in prandio, & in cœna, unum dumtaxat ferculum, seu missum carnis unius speciei tantummodo, aut piscium, seu ovorum, cum uno potagio de carnibus, vel piscibus principaliter non confectis, & decentibus salamentis habere valeant, ultra carnes salitas, & herbas crudas, ac calcum, fructus, sive electuaria. Ex quibus tamen nullum specialiter ferculum conficiatur, nisi ad condimentum fieret, vel saporem. Nullus vero eorum de alterius ferculo vesci possit.

§. 4. Liceat etiam eis ex decencia honestatis habere in clausura hujusmodi, cum in lectis quiescendi causa, vel dormiendi esse voluerint, dumtaxat intermedia, seu velamina simplicium tantummodo cortinarum.

Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

Gregorius X. Cardinalis in Conclavi uno tantum Conclavia uti voluit.

Signe infra. certum tantum panem, vinum, & aqua dumtaxat ministrari. Duo servientes, ex eis contenti Clemens.

Ciborum pluralitatem indiget.

Corinte pro lectis dat.

§. 5. Prædictis & fel. mem. Clementis Papæ V. Prædecessoris nostri, & aliis constitutionibus Apostolicis contrariis, quibus per hoc in aliis derogare nolumus, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo, &c. Dat. Avenione 8. Idus Decemb. Pont. nostri Anno X.

Obstantibus derogat. Dat. die 8. Dec. 1351. Anno X.

XVI.

Rectores Provinciarum, Civitatum, aliorumque Locorum Rom. Ecclesiæ immediate subditorum a Thesaurariis eorumdem Provinciarum ultra debitum aliquid per violentiam extorquentes vel alias quomodolibet exigentes excommunicationis vinculo innodantur, suisque officiis privantur.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Molesta Nobis multorum relatio ad nostrum perduxit auditum, quod nonnulli Rectores Provinciarum, Civitatum, atque Terrarum ad Romanam Ecclesiam immediate spectantium fines suos, quibus non contenti sunt, excedentes, frequenter Thesaurariis Provinciarum ipsarum ultra stipendia constituta eis pecunias, quas de bonis, ac juribus ad eandem Ecclesiam pertinentibus, ac alias ad Ecclesiam ipsam spectantes receperant, exigere ac extorquere per violentiam sunt conati: quodque Thesaurarios ipsos, si eorumdem Rectorum non satisfacerint circa id voluntati, multis affecerunt injuriis & contumeliis, & interdum ulterius attentantes carceribus manciparunt non sine gravi contumelia & præjudicio Ecclesiæ memorata.

§. 1. Hujusmodi igitur Rectorum coercere in hac parte temeritatis audaciam intendentes, omnibus & singulis Rectoribus ipsis presentibus & futuris districtius inhibemus, ne per se, vel alium, seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte talia de cætero attentare, aut Thesaurariis ipsis, in quos nullam jurisdictionem habere certum est, eorumque familiaribus ex quibusvis causis seu occasionibus injurias irrogare præsumant: contrarium vero præsumentes excommunicationis sententia innodamus, & officiis, quæ exercent privatos esse volumus eo ipso. Res enim perniciosi admodum est exempli, si hi, qui ad corrigenda vitia aliorum positi sunt, & in virtuosis operibus vivendi normam debent aliis demonstrare, inquinati vitii actionum suarum exemplo incontinentium præbent aliis delinquendi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram inhibitionis, innodationis, ac voluntatis infringere &c.

Datum apud Villam Novam Avenionem. Dioecesis octavo Idus Maii Pontificatus nostri Anno X.

Ex Regest. in Arch. Vatic.

Rectores hujusmodi Provinciarum sepe Theaurariis injuriis.

Quidam & Theaurariis exigere eisdem videntur sub pena excommunicationis.

Clausula.

Dat. die 8. Maii 1351. Anno X.